



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Arelatensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ARELATENSI ARCHIEPISCOPO
& suffraganeis ejus.

Cvm expectaverimus hactenus ut nobilis vir Raymundus Tolosanus Comes, tamquam arbor fructifera comunionum nostrarum rivulis irrigata, fructus ederet opportunos, & tamquam princeps catholicus honoraret sanctam Ecclesiam sponfam Christi, ipse pravo circumventus consilio, non solum damna sterilitatis incurrit, ad honorem Dei & utilitatem Ecclesiae expectatos fructus nullatenus producendo, verum etiam dispositionibus ecclesiasticis nequiter se opponit, contra promissa & juramenta sua veniens impudenter. Vnde cum in ipsum a venerabili fratre nostro Episcopo Vticensi & dilecto filio Cisterciensi Abbate apostolica sedis Legatis de multorum Praelatorum consilio sententia promulgata fuerit ob ejusdem contumaciam manifestam, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus eandem sententiam rationabiliter promulgatam publicari per vestras dioceses faciatis, & appellatione remota per censuram ecclesiasticam usque ad satisfactionem condignam firmiter observari. Datum ut in alia.

E I S D E M.

Cvm expectaverimus &c. usque manifestam, & nos mandemus eandem sententiam usque ad satisfactionem condignam appellatione remota firmiter observari, fraternitati vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus quatinus ad recuperanda castra & alias possessiones & terras quae ab Ecclesiis vestris tenet insistatis viriliter & prudenter.

VIVARIENSI EPISCOPO.

Cvm expectaverimus hactenus ut nobilis vir R. Tolosanus Comes, tamquam arbor fructifera &c. in eundem ferè modum ut in alia usque in finem. Datum ut in alia per totum.

VTICENSI EPISCOPO
& Abbati Cisterciensi apostolicae
sedis Legatis.

Cvm in nobiles viros Comitem Folcalcarensis, G. Ademari, Lambertum de Montilio, Dominos & Dominas Castri novi & Dozaræ, Silvium de Crista, Alasiam de Roca, Praepositum Valentiniensem, Artaldum de Ruffillon, ... fratrem ipsius, & quosdam alios, propter pedagia, exactiones indebitas, & alias ini-

quitates quas in stratis publicis & fluminibus committere non verentur, a te, fili Abbas, de multorum Praelatorum consilio sententia fuerit promulgata, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus eandem sententiam rationabiliter latam faciatis appellatione remota per censuram ecclesiasticam usque ad satisfactionem condignam firmiter observari. Datum ut in alia.

E I S D E M.

Cvm in Roncelinum apostatam & perjurum & cives Massilienses, pro eo quod ei obediunt & favent in suis abominationibus manifestè, a vobis de multorum Praelatorum consilio &c. ut in alia usque in finem. Datum Laterani xviij. Kal. Maij, anno quartodecimo.

CAPITULO ECCLESIAE
Romanensis.

Ivlis petentium desideriis dignum est nos facilem praebere consensum, & vota quae a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus inclinati, regalia vobis ab Imperatoribus & aliis Principibus secularibus, in foro videlicet & in nudinis, necnon & transitu fluminis Isarae, pia vobis devotione concessa, sicut ea iuste ac pacifice possidetis, vobis & per vos Ecclesiae vestrae auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. usque incursum. Datum Laterani xiiii. Kal. Maij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

E I S D E M.

Solet annuere sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis precibus inclinati, laudabiles & honestas consuetudines ac statuta quae ad Ecclesiae vestrae utilitatem providè facta esse noscuntur, sicut hactenus pacifice sunt obtenta, & in authenticis super his confectis plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. usque incursum. Datum ut in alia per totum.



Epist. 13. Super eadem.

Epist. 16. De sententia lata contra Roncelinum.

Epist. 16. De sententia lata contra Roncelinum.

Epist. 17. Super eodem.

Epist. 18. Super eodem.

Epist. 19. Ne indicata pedagia extinguantur.

Epist. 40. De sententia lata contra Roncelinum.

Epist. 41. Confirmantur eis regalia dona.

Epist. 42. Confirmantur eorum statuta.